ISIDORUS HISPALENSIS
12. Jh. Seite 131v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26139
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Item arma et tela omnium generum. sed arma sunt quibus ipsi tuemur.
Tela sunt que emittimus. nam arma duplicia sunt. i. uel quibus percutimus
uel quibus tegimur. Arma autem proprie dicta sunt. eo quod armos tegunt.
Nam arma uel ab armis dicuntur. i. ab humeris. ut latos huic hasta
per armos acta tremit. uel a potu areos. i. a marte. De Gladiis.

Gladius generaliter dicitur ensis in plurio sed ensis ferrum tantum.
gladius uero totus. Proprie autem appellatur gladius quod gulam di
uidit. i. ceruicem secat. ad hoc enim primum factus est. nam cetera mem
bra securibus magis ceduntur. collum gladio tantum. Acies autem
gladii ab acumine dicta. Capulus uocatur uel quia capitur est gladii
uel quia ibi capitur ut teneatur. nam alias acies ferri non sinit. Mucro
non tantum gladii est. sed et cuius libet teli acumen dicitur ab longitudi
ne. nam macron greci longum uocant. hinc et machera. Machera
autem est gladius longus ex una parte acutus. Framea uero gladius
ex utraque parte acutus. quam uulgo spatam uocant. ipsa est et
romphea framea autem dicta quia ferrea est. nam sicut ferramentum sic
framea dicitur. ac proinde omnis gladius framea. Spata a passione
dicitur greco uerbo. quoniam patin grece dicitur pati. unde et patior et patitur
dicimus. Alii spatam latine autumant dictam eo quod spaciosa
sit. i. lata et ampla. unde et spatulam in pecoribus. Semispacium
gladius est a media spate longitudine appellatur non ut inpru
dens uulgus dicit sine spatium. dum sagitta uelocior sit. Pugio
a pungendo et transfigendo uocatus. Est enim gladius parus
et bis acutus lateri adherens. Idem et clunabulum dictum quod reli
getur ad clunem. Celidoniatus gladius ferrum est latum cuius
duplex mucro ac bifurcus. in modum caude hirundinee
formatur. unde et celidoniatus dicitur. Sica a secando dicta est enim
gladius breuis quo maxime utuntur qui apud italos latro
cinia exercent. a quo et sicarii dicti. Tranquillus autem dicit